



ro ac libamina ad sacrificium rite peragendum necessaria, ab uno sacerdotum principum petebantur, qui *praefecti sanctuarii*, *שְׂרָאֵן הַקֹּדֶשׁ*, quorum freqens in novi instrumenti tabulis mentio Luc. XXII, 52. Act. IV, 1. V, 24. inicitur, dicti sunt. Ille quidem, a quo ea petebantur, *הַמַּמּוֹן הַנְּסֻכִּים* *praefectus libaminum* appellatus est; qui ab eo ferta et libamina petebant, ea certo modo omnibus imperato *comparare*, quo vocabulo rem Hebraei exprimunt, debere. Modus, quem sequebantur omnes, is erat. Accedendum erat ad *הַמַּמּוֹן עַל הַחֹתָמִים* *praefectum sigillorum*. Hic quatuor custodiebat sigillorum genera, quorum uni syriacis literis inscriptum erat, VITVLVS, alteri vero MASCVLVS, tertio HIRCVS, quarto denique PECCANS. Si quis itaque iuvenum offerret, adiit praefectum sigillorum, tantumque ipsi pecuniae numeravit, quantum ad redimenda ferta et libamina, sacrificio iuveni debita, satis esset. Quo facto *sigillum* a praefecto accepit, cui inscriptum erat: VITVLVS, quod simulac ad praefectum libaminum attulisset, recepit ab eo pro allato *sigillo* ferta ac libamina, quae cum sacrificio iuveni jungenda erant ex legis divinae praecepto. Si quis arietem offerret, *sigillum* cum inscriptione: MASCVLVS; si hircum, tertium redemit *sigillum*, si denique sacrificium leprosi, quartum. Reliqua eodem modo, de quo statim expositum est, peragebantur. Cum fertis deinde et libaminibus quisque suis a praefecto receptis ad hostiam suam et sacerdotem, qui sacra faciebat, rediit, et tum demum sacrificium, quod hoc modo *obsignatum* erat, ab offerente et a sacerdote rite peragi coepit. Rem omnem copiose exponunt pandectae legum hebraicarum in codice de SICLIS capite V, §. 3. 4. 5.

§. 4. Nec